

quem qui illud magno labore conficere deberet (ut contingit cursoribus), aut esset viribus debilis, aut tempus pluvium, et via aspera et laboriosa, aut iter esset extraordinarium. Sed iter 8. aut 10. leucarum non esse extraordinarium putant Sanchez Tolet. Salmant. Corell. etc. (contra Machado Dianam etc.). Rationabiliter ait Viva itineranti potius vescendum esse lacticiis, et servare jejunium, quam cibis levioribus vesci qui eum sustentare non valent, et postea pluries refici (1).

31. Quæritur 3. an artifices divites artes laboriosas exercentes teneantur jejunare? Affirmat p. Concina cum Durando et Armilla. Sed communiter negant Silv. Sanch. Nav. Less. Ronc. Tol. Viva Salm. Elbel, et alii plures, quia in bonum publicum vergit, ne artifices ab opere propriæ artis desistant: nam si diebus jejuniorum tantum pauperes illis deberent vacare, res publica detrimentum sentiret. Et pro hoc omnes citati aa. afferunt expressam declarationem Eugenii IV. an. 1440. ubi dixit: *Artifices laboriosas artes exercitantes, et rustici, sive divites, sive pauperes, non tenentur jejunare sub præcepto peccati mortalis etc.* (2).

32. Quæritur 4. an teneantur ad jejunium artifices qui sine gravi incommodo jejunare possunt? Alii ut Tamb. Pasqual et Leand. absolute id negant, tum ex consuetudine contraria, tum quia leges non considerant casus extraordinarios. Alii vero communiter et probabiliter affirmant, ut Bon. Regin. Conc. et Viva, semper ac jejunando grave incommodum non patiantur: modo hoc manifestum sit, cum in dubio præsumptio stat pro exemptione a jejunio. Hæc secunda sententia speculative videtur probabilior, dum lex generaliter obligat quemlibet qui sine gravi incommodo jejunare potest, sed in praxi difficulter invenitur qui ex hujusmodi laboribus non fatigatus, aut debilis

(1) l. 3. n. 4047. Dubit. 2. — (2) n. 4042.

pro crastino labore derelinquatur (4). Idem dicimus de illo artifice qui diem aut biduum vacat a labore, quia licet sit sententia communis cum Azorio Sanch. Roncag. Bonac. Croix etc. quod illo biduo non tenetur ad jejunium (in primo die ob laborem hesternum, in secundo ob crastinum), nihilominus si præciso gravi incommodo potest jejunare, tenetur, ut recte dicunt Bonac. et Viva, contra Sanchez et Elbel (5).

33. Quæritur 5. an peccet qui sine justa causa laborem assumit, quo liberatur a jejunio? Alii negant ut Ronc. Bon. etc. modo eo fine laborem non suscipiat, ut a jejunio eximatur. Alii ut Salm. Pasq. etc. eum excusant, licet in jejunii fraudem talem laborem assumat, dicentes licite eum suo jure uti, quo liberatur a jejunio. Nos vero dicimus peccare, licet non laboret in fraudem, et ita tenent Palaus Sanch. Laym. Croix et alii, ut enim diximus *Tract. 2. n. 20.* omnis lex exposcit, ne sine justa causa impedimentum apponatur, quominus observetur. Et idem aperte docet s. Thom. (6) dum dicit peccare eum qui alicui operi vacat, ex quo postea impeditur a Missa audienda; et rationem affert: *Qui enim vult aliquid, cum quo aliud esse non potest, ex consequenti vult illo carere.* Dictum est peccare; ceterum si quis opus aggreditur animo jejunandi, iste postea non peccaret, si illo defatigatus jejunium solveret; nam omnes communiter, Laym. Conc. Silvest. Sanch. Palaus etc. conveniunt in affirmando, quod licet quis in fraudem præcepti aut alio fine pravo jam aliquo labore gravi defunctus est, jejunare non tenetur; quia tunc jam evasit moraliter impotens ad jejunandum. Insuper, ait Sanchez, quod si quis laboraret ex aliquo fine honesto, v. g. ut viseret conjunctos, ut venationi, aut ludo pilæ indulgeat, iste non peccaret: sed huic sic ge-

(3) l. 3. n. 4043. — (4) n. 4044. — (5) l. 2. q. 74. a. 3.

neratum asserto recte contradicunt Abely et Sporer, si iter, aut labor suscipiatur ex puro animi solatio. Qui vero aliquem laborem gravem aggreditur ob magnum lucrum, dicunt probabiliter Nav. Cajet. Laym. Sanch. Sporer. Elbel etc. eum non peccare, licet non laboraret ex proprio officio (1). Huc refertur quod dictum est *Tract. 6. n. 22;* nam juxta *L. un. c. de sent. magni lucri amissio* pro gravi damno habetur.

34. IV. Excusatur pietas, cum v. g. deberet quis in aliquod pium opus se applicare, quod esset majoris meriti quam jejunium. Et hoc admittunt Sanch. Bon. Armilla Gabr. Salmant. etc. (contra alios), licet opus non exerceretur ex officio, aut obedientia, sed ex mera devotione; modo in aliud tempus differri non possit (2). Hinc excusant dd. 1. eos qui magno labore assistunt pluribus infirmis, Castrop. Holzm. Salmant. etc.; 2. eos qui peregrinationem aggressi sunt, quæ valde conferret gloriæ Dei, et populi communi ædificationi, aut propriæ animæ magno profectui, ut Sanch. Castr. Silv. Holzm. Salm. etc. modo non possint eam commode differre, ut dictum est, et ut recte limitant Less. Laym. Salm. Holzm. cum s. Thoma (3) qui sic ait: *Si peregrinatio, aut operis labor commode differri possit, aut diminui absque detrimento corporalis salutis, non sunt Ecclesie jejunia prætermittenda.* Sed si peregrinatio jam incepta esset, et interim aliqua dies jejunii accideret, non debet ideo interrumpi, Laym. Abul. Sanch. Salm. Sporer etc.; 3. concionatores qui in quadragesima quotidie concionantur, ratione studii, et corporis agitatione; et præcipue hoc valeret pro Missionariis, qui vehementiori agitatione prædicant; ita dicunt communiter Wigandt Cajet. Nav. Tolet. Salmant., etc. Cæterum ex me dico quod sacri oratores, qui potius exemplo quam verbis prædi-

(1) l. 3. n. 4046. — (2) n. 4048. — (3) 2. 2. q. 147. a. 4. ad 3.

care debent, pro viribus efficere deberent jejunium observare. Nec assentire possum (generaliter loquendo) iis dd. qui etiam excusant eos concionatores qui ter aut quater in hebdomada concionantur; 4. multi excusant cantores qui jejunando vocem amitterent, et lectores scientiarum (Sanch. addit et magistros Grammaticæ) qui magno studio et labore indigerent. Et idem dicunt de advocatis, et iudicibus, qui animum valde intentum deberent ad studia adjungere, ut suis muneribus satisfaciant, nam isti ob spirituum consumptionem opus habent cibo, sin majori, saltem frequentiori. Ita Castrop. Ronc. Salm. Sanch. Sporer. Viva etc. excusant confessarios, qui extraordinarium laborem subitari sunt, ut satisfaciant pœnitentibus qui frequentiori concursu confluant. Sed bene advertit Tamburin. omnes istos tunc excusari, cum jejunando suas partes adimplere non possent; et eam impotentiam debere esse patentem, quia in dubio possidet lex jejunii. Insuper advertunt Laym. Nav. Cajet. Silvest. Tol. et Sporer, quod si quis non haberet causam sufficientem qua excusari possit a jejunio quadragesimali; sed contra ipse in bona fide putaret justam causam habere præcepto satisfaciendi ter vel quater tantum in hebdomada jejunando, non debet confessarius hunc obligare ut quotidie jejunet, cum adest periculum ne postea quotidie omittat jejunium.

CAPUT II.

DE PRÆCEPTO CONFESSIONIS ET COMMUNIONIS ANNUÆ.

35. De præcepto annuæ confessionis; an obliget qui tantum habet venialia et an debeat prævenire qui prævidet, etc.
36. An qui anno præterito neglexit confessionem, teneatur confiteri quamprimum; et quot peccata committit qui negligit illam.
37. An qui confitetur anno sequenti, satisfaciatur præteritis obligationibus.
38. Pœna in transgressores.
39. De præcepto Communionis paschalis.

40. *An qui eam negligit teneatur ad quamprimum, etc. Et an teneatur prævenire, etc.*
41. *An excommunicati, etc; carcere detenti, etc. Debet in parochia fieri.*
42. *A tali obligatione eximuntur sacerdotes, peregrini, et servi monasteriorum.*
43. *Qua etate, et quando pueri communicare debent.*
44. *Quando amentes.*
35. Et I. quoad confessionem sciendum est, quod in Conc. Lateran. sub Innoc. III. statutum fuit, ut quisque fidelis, cum ad rationis usum pervenerit, omnia peccata sua debeat saltem semel in anno confiteri; ita in *cap. Omnis utriusque sexus de pœnit. et rem.* ubi hæc habentur: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio sacerdoti.* Dicitur 1. *Omnis fidelis*: intelligitur omnis baptizatus; etsi hæreticus. Dicitur 2. *Postquam ad annos, etc.* intelligitur qui ad Dei cognitionem pervenit, saltem crasso modo, et si peccavit, et pœnam meritis est. Quare (ut diximus *Tract. 2. n. 37.*) tenentur ad hoc præceptum, qui ante septennium peccaverunt, si jam usum rationis adepti sunt; nam Concilium obligat universe quemlibet qui jam ad annos discretionis pervenit. Dicitur 3. *Omnia sua peccata.* Hic quæstio fit, an teneantur confiteri in anno qui eo anno non peccarunt mortaliter? Affirmant Silvester, et alii cum Bonac. Sed communis sententia et verior negat cum s. Antonin. Cano Suarez Cajet. Lugo, etc. quia Ecclesia, præcipiendo confessionem, præcipit eam quæ faciendâ est juxta Jesu Christi institutionem: Dominus autem non præcipit nisi confessionem mortalium dumtaxat, ut declaravit Trident Sess. 14. c. 5. de *Pœnit.* Et hoc deducitur ex eodem textu allato, ubi dicitur: *Omnia sua peccata fideliter confiteatur.* Dicendo *omnia* certe intelliguntur sola mortalia; cum certum

sit apud omnes non esse obligationem confitendi venialia omnia volenti ea confiteri. Dicitur 4. *Saltem semel in anno.* Hic annus proprie deberet incipere a Januario, et terminare in Decembri; sed juxta communem consuetudinem accipitur a Paschate ad Pascha, ut dicunt Suar. Lugo Concina Holzm. etc. (1). Hic fit aliud dubium: cum quis prævidet sibi in posterum non fore commoditatem confitendi toto anno, an debeat prævenire, et confiteri antequam finiat annus? Negat Holzman; sed nos affirmamus cum Busemb. et Lugo (2), quia cum iste jam peccaverit mortaliter, jam contraxit obligationem confitendi in illo anno, quare si prævidet quod postea non possit adimplere illud, tenetur prævenire. Dicitur 5. *Fideliter confiteatur*, ideoque non satisfacit per confessionem invalidam, et tanto minus per sacrilegam; propterea merito damnata est propositio 14. ab Alexand. VII. quæ dicebat: *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesie.* Ratio, quia confessio nulla non est vera confessio. Dicitur 6. *Proprio sacerdoti*, intelligitur non tantum parochus, sed quilibet sacerdos ad confessiones approbatus, ut explicat Glossa, et intelligunt Fagnanus, Cabass. et alii communiter. Et hoc hodie non revocatur in dubium ex universali consuetudine, quæ adest: ideoque S. C. anno 1584, declaravit, si Episcopus juberet ne quis confessarius in Paschate audiret confessiones pœnitentium sine licentia curati, talis Decreti nullam habendam fore rationem (3).

36. Quæritur I. an qui, cum teneatur confiteri, elabi annum effecit, teneatur confiteri quamprimum? Negat s. Antonin. Sot. Silvest. Tol. etc. dicendo quod, licet adsit præceptum divinum confitendi pluries in vita, nihilominus respectu confessionis annualis præceptum est ec-

(1) Lib. 6. n. 662. — (2) n. 671. — (3) n. 561 in fine et 574.

clesiasticum, et hoc est addictum anno; quare eo transacto cessat præceptum. Sed affirmat sententia communior, quam nos sequimur cum Gonet Suar. Navarr. Lugo. Tourn. et cum Lambertini (1), tum ob præceptum divinum Ecclesie determinationi relictum; et Ecclesia determinavit obligare saltem semel in anno, ut tenet sententia probabilior, et communior (2); tum ob præceptum ecclesiasticum, quod impositum est, ut quisque confiteatur saltem semel in anno non ad finiendam, sed ad sollicitandam obligationem (3). Quot autem peccata committat, qui elapso anno non confessus est, dicunt Silv. Laym. Valent, etc. unum peccatum committi continuatum; sed probabiliter dicunt Bonac. Suar. Lugo Vasq. etc., toties peccari, quoties occasiones opportuna offeruntur, et negliguntur: cum illud peccatum non perseverat in aliquo effectu, sed tantum in malo proposito, propter quod jam multiplicantur peccata, cum per longum tempus perdurat, ut diximus *Tract. 3. n. 60.*

37. Quæritur 2. an, qui anno sequenti confitetur peccata præteriti anni, satisfaciat præcepto utriusque anni? Alii affirmant, alii vero negant. Sed verior sententia Castrop. Viva Hurtad. Salm. etc. sic distinguit. Si ipse confitetur peccata mortalia, tam præteriti, quam presentis anni, tum recte satisfacit utrique præcepto, quia jam præcepti finem adimplet, qui est reconciliatio cum Deo a peccatis illius anni: non ita vero si confitetur peccata gravia tantum præteriti anni in posteriore anno; si post peractam confessionem labitur in alia peccata mortalia, tenetur iterum confiteri, ut satisfaciat præcepto posterioris anni: dum communiter dicunt Suar. Laym. Castropal. Salmant. Lugo etc. quod si quis in principio anni confitetur sola venialia, tenetur denuo confiteri. Itaque

(1) Notif. l. 3. p. 97. — (2) l. 6. n. 663. — (3) n. 668. et 297.

illa confessio mortalium prioris anni non habet vim satisfaciendi præcepto anni posterioris (4).

38. Ex lege communi ob relatum *cap. Omnis utriusque etc.*, confessionis et communionis violentibus præceptum duæ pœnæ impositæ sunt, interdicti nimirum, et privationis sepulturæ ecclesiasticæ. Sed hæc pœnæ non incurruntur nisi post judicis sententiam. Impuberes sunt universaliter excusati, ut dicunt communiter dd. (5). In qua occasione, et tempore præter hoc urgeat præceptum confessionis, sermonem faciemus, cum de hoc Sacramento Pœnitentiæ agetur.

39. Quoad præceptum Communionis paschalis, advertendum illud esse tam divinum, quam ecclesiasticum. *Divinum*, propter id quod dixit Dominus apud Joan. 6. 54: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Est etiam ecclesiasticum, propter id quod in *cit. cap. Omnis* præcipitur: *Suscipiens reverentier ad minus in Pascha Eucharistie Sacramentum.* Et in Trident. sess. 13, can. 9.: *Si quis negaverit omnes fideles teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum juxta præceptum s. Matris Ecclesie, anathema sit.* Annus hujus obligationis computandus est a Paschate ad Pascha, juxta communem consuetudinem hodie receptam. Tempus paschale incipit a dominica Palmarum, et terminat dominica in Albis, ex declaratione Eugenii IV. in Bulla *Fide digna*, an. 1440. Episcopi tamen ex privilegio, vel consuetudine possunt hoc tempus prorogare, prout solent (6).

40. Sicut diximus de confessione, ita dicimus de Communione, quod si quis tempore paschali non potuit communicare tenetur ad quamprimum communicandum; quia urget præceptum tam divinum (ab Ecclesia de-

(4) Lib. 6. n. 669. — (5) N. 674. — (6) N. 256. et 296.

terminatum ut observetur quodlibet Pascha), quam ecclesiasticum, quod assignat tempus paschale non ad finiendam, sed ad sollicitandam satisfactionem (1). Fit dubium, utrum si quis prævidens non posse communicare in Pascha, teneatur anticipare Communionem: de confessione affirmavimus, quia cum quis peccaverit mortaliter, jam obligationem contraxit confitendi intra annum; quare prævidendo auferendam sibi fore in posterum facultatem confitendi antequam annus finiatur, tenetur prævenire. Sed hoc non procedit pro Communionem, ut recte ait Suar Azor. Holzm., etc. (contra Laym. et Habert); quia debitum communicandi juxta sententiam communem non incipit, nisi incepto tempore paschali, quare de re ante illud tempus non adhuc contracta est obligatio; et si quis prævenit, non satisfacit præcepto (2); et hoc ita est, ut si quis ob impedimentum prævisum anticiparet, et postea cessaret impedimentum, etiam teneretur communicare in Paschate, ut recte dicunt Lugo, Salm., etc. contra Tamb. (3). Dubium minime est quin, incepto tempore paschali, si quis prævidet se impeditum iri communicare postea, teneatur illico communicare (4).

41. Notandum 1. quod excommunicatiet carceribus detenti, cum possint, tenentur procurare absolutio-nem, aut libertatem, quo possint præcepto paschali satisfacere, cum illud sit præceptum divinum, ut dictum est (5). Notandum 2. neminem posse extra parochiam præcepto Communionis satisfacere; aut saltem extra cathedralem (ut probabiliter admittunt Bonac. et Busemb. contra Lugo; et ipse ignoro an hoc sit satis probabile, si deest usus communis, qui præsumere faciat consensum Episcopi sine licentia parochi, aut Episcopi, vel ejus vicarii; sufficit tamen

(1) N. 297. — (2) N. 298. — (3) N. 297. circa fin. v. dicit. — (4) N. 298. in fin. — (5) N. 299.

in hoc licentia præsumpta, seu interpretativa, ut dicunt Suar. Lugo, Salm. Busemb., dummodo adsit moralis certitudo consensus illius (6). Nonnulli affirmant licere Communionem paschalem fieri in ecclesiis Regularium, ratione eorum privilegiorum; sed communiter id reprobatur a Suar. Lugo, Salmant. Tambur., etc. cum Decr. S. C. Nec privilegia suffragantur, dum sæpe Pontifices declararunt quoad Communionem paschalem illam servandum jus parochorum. Et præcipue Clem. VIII. anno 1592 postquam declaravit Regulares quovis tempore etiam paschali licite posse audire confessionem sæcularium, subjunxit: *Dummodo tamen iidem sæculares Christi fideles Sacramentum Eucharistie die festo paschalis Resurrectionis in propria parochia ab eorum parochis sumant* (7). Idemque statuit Clem. X. Imo apud Benedictum XIV. (8) adest Decretum sacr. Congregat. 9. julii 1674. et confirmatum die 11. junii 1650, quo sancitum est posse Episcopos prohibere Regularibus, ne die Paschatis ministrent Eucharistiam sæcularibus, etiamsi ipsi satisfacerent præcepto Ecclesie. Et quamvis die 31. januarii 1682. ab eadem S. C. ad instantiam parochorum Lovaniensium, qui contende-bant pp. Societatis Jesu non posse ministrare Eucharistiam toto tempore paschali, responsum fuit, posse ministrare, *excepto die Paschalis*, tamen intelligendum est, præsupposita Episcopi prohibitione.

42. Notandum 3. a tali obligatione eximi 1. Sacerdotes, qui ubicumque celebrant, satisfaciunt præcepto, juxta communem sententiam: si vero non celebrarent, tenerentur communicare in parochia. 2. Peregrini, qui longe absunt a propria parochia, possunt communicare in quacumque ecclesia; nec tenentur communicare in loci parochia, ubi reperiuntur; ita commu-

(6) I. 6. n. 300. — (7) Lambertini, Not. 48. n. 7. — (8) De Syn. l. 9. c. 16. n. 3.

nissime Cajet. Sot. Azor. Suar. Lugo, Sanch. Bonac. Castrop. Salmant, etc. (contra Barb. Tourn. et Ronc.). Ratio est quia tunc illi non habent proprium pastorem, qui eos recognoscere debet, quare penitus cessat finis communicandi in parochia (1). 3. Famili monasteriorum, qui in eadem clausura degunt, et sub obedientia suorum Prælatorum, ut jure merito sustinet Lambertini (2) cum Wigandt, et pluribus Decretis S. C. contra Castrop. Bonac. Salmant. Ronc., etc. qui eximunt omnes qui incolunt monasteria. Et licet Societas Jesu habeat privilegium pro omnibus domesticis, qui in suis domibus morantur, tamen p. Zacharia (3) refert S. C. multoties declarasse hoc privilegium ad alias religiones minime extendi (4).

43. Notandum 4. pueris ante usum rationis, et perpetuo amentibus prohiberi Communionem ex Concilio Lateranensi. Sed quaeritur an pueri statim ac usum rationis adepti sunt, et confessionis sunt capaces, possint et debeant communicare? Affirmant Palud. s. Anton., etc.; sed communiter et probabiliter negant alii; nam cum majorem reverentiam exposcat Communionem, et propterea majorem quoque ex postulat cognitionem: saltem quia hæc obligatio sic a communi Ecclesie usu intellecta est. Cæterum valde probabiliter dicunt Suar. Sot. Laym. Castrop., etc. cum s. Thoma (5) quod licet hujusmodi parvuli non teneantur, semper ac tamen discernere valeant hunc cœlestem panem a terreno, possunt admitti ad Communionem: *Quia* (ait s. Doctor) *tales possunt aliquam devotionem hujus Sacramenti concipere. Et id confirmatur ex can. penult. 26. qu. 6. ubi dicitur: Cui Pœnitentie Sacramentum conceditur, neque Eucharistie Sacramentum de-*

(1) I. 6. n. 240. ad 9. v. Huic. — (2) Notif. 35. n. 7., et 8. — (3) Ap. Croix l. 6. p. 1. n. 624. — (4) I. 6. n. 240. ad 10. — (5) 3. p. q. 80. a. 9.

negari debet, si desiderat. Et illis pueris, qui in extremo vitæ sunt constituti, non solum potest, sed etiam debet dari Communionem, ut communiter præfati dd. cum Bened. XIV. (6); quia in tali articulo, cum usu rationis polleant, ex præcepto divino tenentur communicare. Extra tamen periculum mortis, dicunt communiter dd. (regulariter loquendo) obligationem communicandi incipere ab anno nono, et non posse differri ultra 12. aut ad plus 14. ita Suar. Laym. Antoine, Croix, etc. S. Carolus præcepit parochis ut instruerent pro Communionem pueros, qui ad 10. annum pervenissent (7).

44. Quaeritur hic denique an possit ministrari Eucharistia amentibus? Jam dictum est quod perpetuo amentibus omnino neganda est Communionem, etiam in mortis articulo, ut habetur ex Rituali romano (*de Euch.*). Aliis vero qui sunt amentes, sed non semper fuerunt rationis expertes, potest dari (ut dicit ipsummet Rituale), cum habent aliquod lucis intervallum: aut ut dicit s. Thomas (8): *Si prius quando erant compotes mentis, apparuit in eis devotio hujus Sacramenti, nisi timeatur periculum expulsiōnis*; et idem dicit Catechismus rom. (9). Ex quo bene inferunt multi dd. sufficere ad dandam Eucharistiam fatuo in mortis articulo, ut ipse dudum pie vixerit (10). Semi fatuis vero dicunt Castr. Wigandt, Laym. Holzm. Salm., etc. quod tantum in vitæ extremo, et præcepto paschali possit ministrari Communionem, semper ac discernere valent a cibo terreno. Idem asserunt Laym. Castrop. et Salm. de mutis, et surdis a nativitate, modo constet ex signis ipsos intelligere in Sacramento contineri divinam personam (11).

(6) De Synod. l. 7. c. 42. n. 3. — (7) Lib. 6. n. 301. v. Sed hic. — (8) 3. p. q. 80. a. 9. — (9) p. 2. n. 64. — (10) Lib. 6. n. 302. — (11) N. 303.